

## LACTANTIUS: DE MORTIBUS PERSECUTORUM (Excerpta)

L. Caecilius Firmianus Lactantius (c. AD 240-320) was a Christian apologist and rhetorician, rising to a high position at the imperial court of Diocletian as a teacher of rhetoric and later as adviser to Constantine. His *de Mortibus Persecutorum* (written after AD 313) recounts the fates of earlier emperors – Nero, Domitian, Decius, Valerian, Aurelian – who had persecuted Christians as well as the history of contemporary persecutors Diocletian, Maximian, Galerius, Maximinus and Constantine. The work is apologetic (even tendentious), but contains significant historical information.

### I. The Early Persecutors (Nero, Domitius, Decius, Valerian, Aurelian)

1 [2] Extremis temporibus Tiberii Caesaris, ut scriptum legimus, dominus  
2 noster Iesus Christus a Iudaeis cruciatus est post diem decimum  
3 Kalendas Apriles duobus Geminis consulibus. Cum resurrexisset die  
4 tertio, congregavit discipulos, quos metus comprehensionis eius in  
5 fugam verterat, et diebus XL cum his commoratus aperuit corda eorum  
6 et scripturas interpretatus est, quae usque ad id tempus obscurae atque  
7 involutae fuerunt, ordinavitque eos et instruxit ad praedicationem  
8 dogmatis ac doctrinae suae disponens testamenti novi sollemnem  
9 disciplinam. Quo officio repleto circumvolvitur eum procella nubis et  
10 subtractum oculis hominum rapuit in caelum. Et inde discipuli, qui tunc  
11 erant undecim, adsumptis in locum Iudae proditoris Mathia et Paulo,  
12 dispersi sunt per omnem terram ad evangelium praedicandum, sicut  
13 illis magister dominus imperaverat. Et per annos XXV usque ad  
14 principium Neroniani imperii per omnes provincias et civitates ecclesiae  
15 fundamenta miserunt.

16 Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit et editis  
17 quibusdam miraculis, quae virtute ipsius dei data sibi ab eo potestate  
18 faciebat, convertit multos ad iustitiam deoque templum fidele ac stabile  
19 collocavit. Qua re ad Neronem delata cum animadverteret non modo

20 Romae, sed ubique cotidie magnam multitudinem deficere a cultu  
21 idolorum et ad religionem novam damnata vetusta transire, ut erat  
22 execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum caeleste  
23 templum delendamque iustitiam et primus omnium persecutus dei  
24 servos Petrum cruci adfixit, Paulum interfecit. Nec tamen habuit  
25 impune. Respexit enim deus vexationem populi sui. Deiectus itaque  
26 fastigio imperii ac devolutus a summo tyrannus impotens nusquam  
27 repente comparuit, ut ne sepulturae quidem locus in terra tam malae  
28 bestiae appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum ac  
29 vivum reservatum, Sibylla dicente matricidam profugum a finibus  
30 terrae esse venturum, ut quia primus persecutus est, idem etiam  
31 novissimus persequatur et antichristi praecedat adventum, quod nefas  
32 est credere; sicut duos prophetas vivos esse translatos in ultima tempora  
33 ante imperium Christi sanctum ac sempiternum, cum descendere  
34 coeperit, quidam sanctorum pronuntiant, eodem modo etiam Neronem  
35 venturum putant, ut praecursor diaboli ac praevius sit venientis ad  
36 vastationem terrae et humani generis eversionem.

37 [3] Post hunc interiectis aliquot annis alter non minor tyrannus  
38 Domitianus ortus est. Qui cum exerceret invisam dominationem,  
39 subiectorum tamen cervicibus incubavit quam diutissime tutusque  
40 regnavit, donec impias manus adversus dominum tenderet. Postquam  
41 vero ad persequendum iustum populum instinctu daemonum incitatus  
42 est, tunc traditus in manus inimicorum luit poenas. Nec satis ad  
43 ultionem fuit quod est interfectus domi; etiam memoria nominis eius  
44 erasa est. Nam cum multa mirabilia opera fabricasset, cum Capitolium  
45 aliaque nobilia monumenta fecisset, senatus ita nomen eius persecutus  
46 est, ut neque titulorum eius relinquerentur ulla vestigia, gravissime

47 decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam sempiternam.  
48 Rescissis igitur actis tyranni non modo in statum pristinum ecclesia  
49 restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit, secutisque  
50 temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum  
51 regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa manus suas in  
52 orientem occidentemque porrexit, ut iam nullus esset terrarum angulus  
53 tam remotus quo non religio dei penetrasset, nulla denique dei natio  
54 tam feris moribus vivens, ut non suscepto dei cultu ad iustitiae opera  
55 mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

56 [4] Extitit enim post annos plurimos execrabile animal Decius, qui  
57 vexaret ecclesiam; quis enim iustitiam nisi malus persequatur? Et quasi  
58 huius rei gratia profectus esset ad illud principale fastigium, furere  
59 protinus contra deum coepit, ut protinus caderet. Nam profectus  
60 adversum Carpos, qui tum Daciam Moesiamque occupaverant,  
61 statimque circumventus a barbaris et cum magna exercitus parte deletus  
62 ne sepultura quidem potuit honorari, sed exutus ac nudus, ut hostem  
63 dei oportebat, pabulum feris ac volucribus iacuit.

64 [5] Non multo post Valerianus quoque non dissimili furore correptus  
65 impias manus in deum intentavit et multum quamvis brevi tempore  
66 iusti sanguinis fudit. At illum deus novo ac singulari poenae genere  
67 adfecit, ut esset posteris documentum adversarios dei semper dignam  
68 scelere suo recipere mercedem. Hic captus a Persis non modo imperium,  
69 quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris ademerat,  
70 perdidit vixitque in servitute turpissime. Nam rex Persarum Sapor, is  
71 qui eum ceperat, si quando libuerat aut vehiculum ascendere aut  
72 equum, inclinare sibi Romanum iubebat ac terga praeberere et imposito

73 pede super dorsum eius illud esse verum dicebat exprobrans ei cum  
74 risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille  
75 dignissime triumphatus aliquamdiu vixit, ut diu barbaris Romanum  
76 nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad poenam, quod  
77 cum filium haberet imperatorem, captivitatis suae tamen ac servitutis  
78 extremae non invenit ultorem nec omnino repetitus est. Postea vero  
79 quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, derepta est ei cutis et  
80 exuta visceribus pellis infecta rubro colore, ut in templo barbarorum  
81 deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur legatisque nostris  
82 semper esset ostentui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum  
83 exuvias capti principis apud deos suos cernerent. Cum igitur tales  
84 poenas de sacrilegis deus exegerit, nonne mirabile est ausum esse  
85 quemquam postea non modo facere, sed etiam cogitare adversus  
86 maiestatem singularis dei regentis et continentis universa?

87 [6] Aurelianus, qui esset natura vesanus et praeceps, quamvis  
88 captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris eius et poenae  
89 iram dei crudelibus factis laccessivit. Verum illi ne perficere quidem quae  
90 cogitaverat licuit, sed protinus inter initia sui furoris extintus est.  
91 Nondum ad provincias ulteriores cruenta eius scripta pervenerant, et  
92 iam Caenofrurio, qui locus est Thraciae, cruentus ipse humi iacebat falsa  
93 quadam suspicione ab amicis suis interemptus. Talibus et tot exemplis  
94 coerceri posteriores tyrannos oportebat: at hi non modo territi non sunt  
95 sed audacius etiam contra deum confidentiusque fecerunt.

## II. Diocletian and the Tetrachy.

Diocletian (emperor in 284-305) appointed his fellow officer Maximian as co-emperor in 285. In 293 he appointed Galerius and Constantius (father of Constantine) as Caesars (junior co-emperors), creating the "Tetrachy," with each emperor ruling over semi-defined quarters of the Roman Empire. The "Great Persecution" occurred during Diocletian's reign. It was most severe in the East, inconsistently applied in other areas and absent altogether from some areas in the West.

96 [7] Diocletianus, qui scelerum inventor et malorum machinator fuit, cum  
97 disperderet omnia, ne a deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem  
98 terrae simul et avaritia et timiditate subvertit. Tres enim participes regni  
99 sui fecit in quattuor partes orbe diviso et multiplicatis exercitibus, cum  
100 singuli eorum longe maiorem numerum militum habere contenderent,  
101 quam priores principes habuerant, cum soli rem publicam gererent.  
102 Adeo maior esse coeperat numerus accipientium quam dantium, ut  
103 enormitate indictionum consumptis viribus colonorum desererentur  
104 agri et culturae verterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur,  
105 provinciae quoque in frusta concisae; multi praesides et plura officia  
106 singulis regionibus ac paene iam civitatibus incubare, item rationales  
107 multi et magistri et vicarii praefectorum, quibus omnibus civiles actus  
108 admodum rari, sed condemnationes tantum et proscriptiones  
109 frequentes, exactiones rerum innumerabilium non dicam crebrae, sed  
110 perpetuae, et in exactionibus iniuriae non ferendae. Haec quoque  
111 tolerari non possunt quae ad exhibendos milites spectant.

112 Idem insatiabili avaritia thesauros numquam minui volebat, sed semper  
113 extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quae recondebat  
114 integra atque inviolata servaret. Idem cum variis iniquitatibus  
115 immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere  
116 conatus est; tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus, nec venale

117 quicquam metu apparebat et caritas multo deterius exarsit, donec lex  
118 necessitate ipsa post multorum exitium solveretur.

119 Huc accedebat infinita quaedam cupiditas aedificandi, non minor  
120 provinciarum exactio in exhibendis operariis et artificibus et plaustris,  
121 omnia quaecumque sint fabricandis operibus necessaria. Hic basilicae,  
122 hic circus, hic moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiae.  
123 Repente magna pars civitatis exciditur. Migrabant omnes cum  
124 coniugibus ac liberis quasi urbe ab hostibus capta. Et cum perfecta haec  
125 fuerant cum interitu provinciarum, "non recte facta sunt", aiebat, "alio  
126 modo fiant." Rursus dirui ac mutari necesse erat iterum fortasse casura.  
127 Ita semper dementabat Nicomediam studens urbi Romae coaequare.

128 Iam illud praetereo, quam multi perierint possessionum aut opum  
129 gratia. Hoc enim usitatum et fere licitum consuetudine malorum. Sed in  
130 hoc illud fuit praecipuum, quod ubicumque cultiorem agrum viderat  
131 aut ornatus aedificium, iam parata domino calumnia et poena capitalis,  
132 quasi non posset rapere aliena sine sanguine.

133 [9] Diocles – sic enim ante imperium vocabatur – cum rem publicam  
134 talibus consiliis et talibus sociis everteret, cum pro sceleribus suis nihil  
135 non mereretur, tamdiu tamen summa felicitate regnavit, quamdiu  
136 manus suas iustorum sanguine non inquinaret. Quam vero causam  
137 perseguendi habuerit exponam.

138 [10] Cum ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore scrutator rerum  
139 futurarum, immolabat pecudes et in iecoribus earum ventura quaerebat.  
140 Tum quidem ministrorum scientes dominum cum adsisterent  
141 immolanti, imposuerunt frontibus suis inmortale signum; quo facto

142 fugatis daemonibus sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices nec solitas  
143 in extis notas videbant et, quasi non litassent, saepius immolabant.  
144 Verum identidem mactatae hostiae nihil ostendebant, donec magister  
145 ille aruspicum Tagis seu suspicione seu visu ait idcirco non respondere  
146 sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens  
147 sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos qui  
148 erant in palatio iussit et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti,  
149 datisque ad praepositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia  
150 praecepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor eius  
151 et ira processit nec amplius quicquam contra legem aut religionem dei  
152 fecit. Deinde interiecto aliquanto tempore in Bithyniam venit hiematum  
153 eodemque tum Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere  
154 advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui  
155 iam principium fecerat. Cuius furoris hanc causam fuisse cognovi.

156 [11] Erat mater eius deorum montium cultrix, quae cum esset mulier  
157 admodum superstitiosa, dapibus sacrificabat paene cotidie ac vicinis  
158 suis epulas exhibebat. Christiani abstinebant, et illa cum gentibus  
159 epulante ieiuniis hi et orationibus insistebant. Hinc concepit odium  
160 adversus eos ac filium suum non minus superstitiosum querelis  
161 muliebribus ad tollendos homines incitavit.

162 [15] Furebat ergo imperator iam non in domesticos tantum, sed in  
163 omnes; et primam omnium filiam Valeriam coniugemque Priscam  
164 sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos  
165 palatium et ipse ante constabat; comprehensi presbyteri ac ministri et  
166 sine ulla probatione aut confessione damnati cum omnibus suis  
167 deducebantur. Omnis sexus et aetatis homines ad exustionem rapti, nec

168 singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni  
169 ambiebantur; domestici alligatis ad collum molaribus mari  
170 mergebantur. Nec minus in ceterum populum persecutio violenter  
171 incubuit. Nam iudices per omnia templa dispersi universos ad sacrificia  
172 cogebant. Pleni carceres erant, tormentorum genera inaudita  
173 excogitabantur, et ne cui temere ius diceretur, arae in secretariis ac pro  
174 tribunali positae, ut litigatores prius sacrificarent atque ita causas suas  
175 dicerent, sic ergo ad iudices tamquam ad deos adiretur. Etiam litterae ad  
176 Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent:  
177 quorum sententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem senex  
178 Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam  
179 Constantius, ne dissentire a maiorum praeceptis videretur, conventicula,  
180 id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem dei  
181 templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

182 [16] Vexabatur ergo universa terra et praeter Gallias ab oriente usque ad  
183 occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.

184 non, mihi si linguae centum sint oraque centum,  
185 ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,  
186 omnia poenarum percurrere nomina possim,  
187 quae iudices per provincias iustis atque innocentibus intulerunt.

### III. The Vision of Constantine.

As the Tetrachy unraveled, Constantine marched on Italy and defeated fellow-emperor Maxentius at the Battle of the Milvian Bridge. He famously saw a "vision" prior to the battle which led to his public endorsement of Christianity.

188 [44] Iam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius  
189 Romae contineret, quod responsum acceperat perituum esse, si extra



190 portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus  
191 virium Maxentio erat, quod et patris sui exercitum receperat a Severo et  
192 suum proprium de Mauris atque Gaetulis nuper extraxerat. Dimicatum,  
193 et Maxentiani milites praevalebant, donec postea confirmato animo  
194 Constantinus et ad utrumque paratus copias omnes ad urbem propius  
195 admovit et a regione pontis Mulvii consedit. Imminebat dies quo  
196 Maxentius imperium ceperat, qui est a.d. sextum Kalendas Novembres,  
197 et quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete  
198 Constantinus, ut caeleste signum dei notaret in scutis atque ita proelium  
199 committeret. Facit ut iussus est et transversa X littera, summo capite  
200 circumflexo, Christum in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit  
201 ferrum. Procedit hostis obviam sine imperatore pontemque  
202 transgreditur, acies pari fronte concurrunt, summa vi utrimque  
203 pugnatur:

204           Neque his fuga nota neque illis.

205 Fit in urbe seditio et dux increpitatur velut desertor salutis publicae  
206 cumque conspiceretur, repente populus – circenses enim natali suo  
207 edebat – una voce subclamat Constantinum vinci non posse. Qua voce  
208 consternatus proripit se ac vocatis quibusdam senatoribus libros  
209 Sibyllinos inspici iubet, in quibus repertum est illo die hostem  
210 Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriae inductus  
211 procedit, in aciem venit. Pons a tergo eius scinditur. Eo viso pugna  
212 crudescit et manus dei supererat aciei. Maxentianus proterretur, ipse in  
213 fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine  
214 fugientium pressus in Tiberim deturbatur.

#### IV. The Edict of Milan.

Amid the civil wars which accompanied the demise of the Tetrachy, Constantine and Licinius issued letters in 313 ending the presecution of Christians (in the portions of the Empire they controlled). The actual text is given by Lactantius (also by Eusebius). Known as The Edict of Milan, the significance of the proclamation has been questioned by modern historians

215 [48] "Cum feliciter tam ego [quam] Constantinus Augustus quam etiam  
216 ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus atque  
217 universa quae ad commoda et securitatem publicam pertinerent, in  
218 tractatu haberemus, haec inter cetera quae videbamus pluribus  
219 hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus  
220 divinitatis reverentia continebatur, ut daremus et Christianis et omnibus  
221 liberam potestatem sequendi religionem quam quisque voluisset, quod  
222 quicquid est divinitatis in sede caelesti nobis atque omnibus qui sub  
223 potestate nostra sunt constituti, placatum ac propitium possit existere.  
224 Itaque hoc consilium salubri ac recticissima ratione ineundum esse  
225 credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegendam putaremus, qui vel  
226 observationi Christianorum vel ei religioni mentem suam dederet quam  
227 ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cuius  
228 religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem  
229 suum benivolentiamque praestare. Quare scire dicationem tuam  
230 convenit placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino condicionibus quae  
231 prius scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine  
232 continebantur, et quae prorsus sinistra et a nostra clementia aliena esse  
233 videbantur, ea removeantur. Et nunc libere ac simpliciter unus quisque  
234 eorum, qui eandem observandae religionis Christianorum gerunt  
235 voluntatem citra ullam inquietudinem ac molestiam sui id ipsum  
236 observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda

237 esse credidimus, quo scires nos liberam atque absolutam colendae  
238 religionis suae facultatem isdem Christianis dedisse. Quod cum isdem a  
239 nobis indultum esse pervideas, intellegit dicatio tua etiam aliis religionis  
240 suae vel observantiae potestatem similiter apertam et liberam pro quiete  
241 temporis nostri esse concessam, ut in colendo quod quisque delegerit,  
242 habeat liberam facultatem. Quod a nobis factum est ut neque cuiquam  
243 honori neque cuiquam religioni detractum aliquid a nobis videatur.  
244 Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse  
245 censuimus, quod, si eadem loca, ad quae antea convenire consuerant, de  
246 quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac forma fuerat  
247 comprehensa, priore tempore aliqui vel a fisco nostro vel ab alio  
248 quocumque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia et  
249 sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate  
250 restituant; qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter isdem  
251 Christianis quantocius reddant; etiam vel hi qui emerunt vel qui dono  
252 fuerunt consecuti, si petiverint de nostra benivolentia aliquid, vicarium  
253 postulent, quo et ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia  
254 corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam ac sine mora  
255 tradi oportebit.

256 Et quoniam idem Christiani non [in] ea loca tantum ad quae convenire  
257 consuerunt, sed alia etiam habuisse noscuntur ad ius corporis eorum id  
258 est ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege  
259 quam superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel  
260 controversiam isdem Christianis id est corpori et conventiculis eorum  
261 reddi iubebis, supra dicta scilicet ratione servata, ut ii qui eadem sine  
262 pretio sicut diximus restituant, indemnitatem de nostra benivolentia  
263 sperent. In quibus omnibus supra dicto corpori Christianorum

264 intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum  
265 nostrum quantocius compleatur, quo etiam in hoc per clementiam  
266 nostram quieti publicae consulatur. Hactenus fiet, ut, sicut superius  
267 comprehensum est, divinus iuxta nos favor, quem in tantis sumus rebus  
268 experti, per omne tempus prospere successibus nostris cum beatitudine  
269 publica perseveret. Ut autem huius sanctionis et benivolentiae nostrae  
270 forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programme tuo  
271 haec scripta et ubique proponere et ad omnium scientiam te perferre  
272 conveniet, ut huius nostrae benivolentiae sanctio latere non possit."

273 His litteris propositis etiam verbo hortatus est, ut conventicula in statum  
274 pristinum redderentur. Sic ab eversa ecclesia usque ad restitutam  
275 fuerunt anni decem, menses plus minus quattuor.